

The *Chrysostomus Latinus in Mattheum* Online (CLIMO) Project  
(<https://climo-project.wlu.ca>)

Omelia I. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio  
(BAV MS Vat. lat. 384, ff.1r-1v & BAV MS Vat. lat. 383, ff.1r-4r)

Oportebat quidem nos non indigere eo quod a litteris est auxilio, sed ita uitam prebere puram, ut spiritus gratia pro libro fieret nostris animabus, et sicut hic per attramentum, ita corda nostra per spiritum scripta essent. Quoniam autem hac caremus gratia, saltem secundam amplectamur nauigationem. Quoniam quidem prius melius erat, et per que dixit et per que fecit, manifestauit deus. Etenim noe et abraam et filiis eius et iob et moysi non per litteras loquebatur, sed ipse per se ipsum puram inueniens illorum mentem. Quoniam autem in ipsum malitie cecidit profundum, uniuersus hebrorum populus, tunc reliquum littere et tabule fierent, et que per has submemoratio. Et hic non ueteris sanctis, sed et his qui in nouo, contingens uidebit utique quis. Neque enim apostolis dedit quid scriptum deus, sed pro litteris spiritus annuntiabat daturum esse gratiam. Ille enim uobis ait rememorabit omnia. Et ut addiscas quoniam hic multum melius erat, audi per prophetam quid ait. Disponam uobis testamentum nouum, dans leges meas in mente uestra, et in corde scribam eas, et erunt omnes docibiles dei. Et paulus ante hanc demonstrans super excellentiam dicebat suscepisse legem non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordibus carneis. Quoniam autem multo tempore procedente exciderunt, hi quidem propter dogmata, hii autem propter uitam et mores indiguimus rursus ea que a litteris est sub memoracione. Intellige igitur quam maximum est malum nos qui ita deberemus uiuere pure, ut non indigeremus litteris, sed pro libris tribueremus corda spiritui, quoniam honore ammisimus illum, et constituti sumus in horum necessitatem, neque secundo uti farmaco rursus in quod oportet. Si enim accusatio litteris indigere, et non spiritus adipisci gratiam intueri quam maximum delictum est, neque post auxilium hoc uelle proficere. Sed inaniter et uane iacentes litteras despiciere, et maius subire supplicium. Quod ubi non fiat intendamus cum certitudine his que scripta sunt, et discamus qualiter quidem uetus data est lex, qualiter autem nouum testamentum. Qualiter igitur lex data est illa tunc, et quando et ubi? Post egyptiorum destructionem in heremo in monte syna, et fumo et igne ascendente a monte bucina sonante, tonitruis, et coruscationibus existentibus, Moyse in ipsam ingrediente nebulam. In nouo autem non ita. Neque in heremo, neque in monte, neque cum fumo et tenebris et nebula et fulgure, sed incipiente die in domo omnibus consistentibus cum multa mansuetudine omnia fiebant. Irrationabilioribus quidem enim et effrenatis, corporalis indigentia erant fantasie, puta solitudinis, montis, fumi, bucinæ, sonitus, et aliorum talium. Excelsioribus autem et persuasibilibus, et corporum intelligentiam super excedentibus, nullius erat horum necessitas. Si autem et in ipsis sonitus sanctus est non propter apostolos, presentes iudeos, propter quos et ignis uise sunt lingue. Si enim et postea dicebant, quoniam multo pleni sunt multo magis si nichil horum uidissent, hoc utique dixissent. Et in ueteri quidem cum moyses ascendisset ita deus descendit. Hic autem natura nostra in celum, magis autem in tronum regalem deducta, ita spiritus descendit. Si autem spiritus minor, non utique maiora essent quae facta sunt et mirabiliora. Etenim tabulae multo meliores hee, et directiones lucidiores. Non enim ex monte descendebant titulos ferentes lapideos in manibus apostoli, quemadmodum moyses, sed spiritum in mente ferentes, et thesaurum quendam et fontem dogmatum et charismatum, et omnium bonorum irrigantes, ita ubi quod circuibant, libri et leges facti per gratiam animati. Ita tria milia, ita quinque milia, ita orbis terrarum attraxerunt populos, deo per illorum linguam aduenientibus omnibus loquente. A quo et matheus spiritu repletus, scripsit quae scripsit, Matheus publicanus.

Commented [CN1]: [incip. BAV, MS 384, fol.1r]

Commented [CN2]: [fol.1v]

Commented [CN3]: [expl. BAV, MS 384, fol.1v]

Commented [CN4]: [inc. BAV, MS 383, fol.1ra]

Non enim erubescio uocans hanc ab arte, neque hanc neque alios. Hoc enim maxime monstrat spiritus gratiam, et illorum uirtutem. Aeuangelium autem hoc opus decenter uocauit. Etenim supplicii destructionem, et peccatorum solutionem, et iusticiam, et sanctificationem, et redemptionem, et adoptionem, et hereditatem caelorum, et cognationem ad filium dei, omnibus uenit annuntiare inimicis, ingratis, et his qui in tenebris sedebant. Quid unquam igitur aeuangeliiis his aequale fiet utique? Deus in terra, homo in caelo, et omnia mixtim facta sunt, angeli chorum cum hominibus faciebant. Homines angelis communicabant, et aliis superioribus uirtutibus. Et erat uidere prolixum solutum esse praelium, et amicitias deo ad nostram factas fuisse naturam, diabolum confusum, demones fugientes, mortem solutam, paradysum apertum, maledictionem destructam, peccatum alonge factum, errorem expulsam, ueritatem reuersam, pietatis sermonem ubique semina cum et uegetatum superiorum urbanitatem super terram plantatam, cum otio uirtutes illas loquentes nobis, in terra continue angelos chorum facientes, et multam pro futuris spem existentem. Propterea aeuangelium hystoriam hanc uocauit, quia alia omnia uerba solum sunt rebus carentia, puta, pecuniarum superhabundantia, potentie magnitudo et principatus, et gloriae, et honores, et alia quecumque apud homines bona esse estimantur. Quae autem a piscatoribus annunciata sunt, propriae et principaliter aeuangelia utique uocabuntur. Non quoniam certa et immobilia solum sunt bona, et super dignitatem nostram, sed quoniam et cum facilitate omni nobis data sunt. Neque enim quia laborauimus et sudauimus, et fatigati sumus, sed quia dilecti fuimus a deo solum, suscepimus quae suscepimus. Et quid utique est, quod tot existentibus discipulis, duo scribunt ex apostolis solum, et duo ex sequacibus horum? Hic quidem enim pauli, hic autem petri discipulus existens, cum iohanne et matheo aeuangelia scripserunt. Quoniam nichil ob honoris amorem faciebant, sed omnia ad utilitatem. Quid igitur non sufficebat unus aeuangelista omnia dicere? Sufficiebat quidem. Sed si quatuor qui scribunt sunt, neque secundum eadem tempora, neque in eisdem locis, cum neque conuenissent et conlocuti essent ad inuicem, deinde uelut ab uno ore omnia loquuntur, maxima ueritatis demonstratio hoc fit. Sed tamen contrarium contigit ait. Multis enim in locis, dissonantes arguuntur. Ipsum quidem igitur hoc, maximum signum ueritatis est. Si enim per omnia consonarent cum certitudine, et usque ad tempus, et usque ad locum, et usque ad uerba ipsa, nullus utique crederet inimicorum quod non conuenientes excomplicito quodam humano scripserunt quae scripserunt. Neque enim esse simplicitatis tantam consonantiam. Nunc autem et quae uidetur in paruis esse dissonantia, omni liberat suspicione eos. Et praeclare de modo eorum qui scripserunt, respondet. Si autem secundum aliquid de temporibus uel modis differenter annuntiarunt, hoc nichil impedit eorum quae dicta sunt ueritatem, et haec autem ut utique deus tribuet temptabimus procedentes demonstrare. Illud cum his quae dicta sunt suadentes uos obseruare. Quoniam in capitulis et in his quae continent nostram uitam, et in his quae et praedicationem constituunt, nequaquam aliquis eorum, neque paruo dissonans apparet. Quae autem haec sunt? Puta quoniam deus homo factus est, quoniam miracula fecit, quoniam crucifixus est, quoniam sepultus est, quoniam resurrexit, quoniam ascendit, quoniam futurus est iudicare, quoniam dedit salutaria mandata, quoniam non contrariam ueteri legem induxit, quoniam filius, quoniam unigenitus, quoniam proprius, quoniam eiusdem substantiae cum patre, et quecunque talia. Circa haec enim, multam inueniemus existentem in ipsis consonantiam. Si autem in miraculis non omnes omnia dixerunt, sed hic quidem haec, ille autem illa, hoc te non conturbet. Siue enim unus omnia dixisset, superfluum esset reliquorum numerus, siue omnes diuersa et noua ab inuicem scripsissent, non utique appareret consonantiae demonstratio. Propterea et communiter multa disputarunt, et singulis eorum proprium quid assumens dixit, ut neque superfluum esse appareret, et prociendus simpliciter, et ueritatis eorum quae dicta sunt,

Commented [CN5]: [fol.1rb]

Commented [CN6]: ueritatis add. super lin.

Commented [CN7]: uel inde add. super lin.

Commented [CN8]: [fol.1va]

certam tribuat examinationem nobis. Lucas quidem igitur et causam ait, propter quam ad scribendum uenit, ut habeas enim magis de quibus resonatus es sermonum stabilitatem, hoc est ut continue submemoratus, stabilitatem habeas, et instabilitate maneas. Iohannes autem ipse quidem siluit causam, cum autem uerbum ait desuper, et ex patribus ad nos descendit, neque ipse simpliciter ad scribendum uenit. Sed quoniam tribus studium fuit dispensationis immorari sermoni, et deitatis dogmata silentio tradi periculum erat, christo mouente ipsum, ita uenit ad aeueangelicam conscriptionem. Et hoc manifestum et ex ipsa ystoria, et ex proemiis aeueangelii. Neque enim similiter ut reliqui deorsum incipit, sed desuper ad quod festinabat, et propter quod totum librum composuit. Non in proemiis autem solum, sed et per totum aeueangelium aliis est excelsior. Dicitur autem et matheus his qui ex iudeis crediderant aduenientibus ad ipsum et deprecantibus quae dixit per uerba, haec relinquere per litteras eis, et hebreorum uoce composuisse aeueangelium. Et marcus autem in aegypto discipulis deprecantibus, hoc utique ipsum fecisse. Propterea matheus quidem quasi hebreis scribens, nichil amplius quesiiuit monstrare, quam quod ab abraham et dauid erat. Lucas autem quasi communiter omnibus loquens, et altius sermonem reducit usque ad adam procedens. Et hic quidem a natiuitate incipit. Nichil enim ita mitigabat iudeum, ut addiscere ipsum, quod dauid filius erat christus. Hic autem non ita, sed aliarum plurium meminit rerum, et tunc ad genealogiam procedit. Consonantiam autem eorum, et ab orbe terrarum representabimus, suscipiente ea quae dicta sunt, et ab ipsis ueritatis inimicis. Etenim multae post illos hereses natae sunt, contrariae oppinantes his quae dicta sunt. Et haec quidem omnia susceperunt quae dicta sunt, aliae autem partem eorum quae dicta sunt abscedentes, reliqua ita apud seipsos habuerunt. Si autem pugna aliqua esset in his quae dicta sunt, neque utique hereses quae contrariae dicit omnia utique susciperent, sed partem uisam eis concordare. Neque utique hereses quae partem suscipiunt, disputarent de parte, ut neque commata ipsa lateant, sed clament eam quae ad totum corpus est cognationem. Et quemadmodum ex costa si assumans aliquam partem, in parte omnia inuenies a quibus totum animal compositum est, et neruos et uenas et ossa et arterias et sanguinem et integram ut ita dicam masse monstrationem, ita et in scripturis est dicere in singula eorum quae dicta sunt parte, totius cognationem apparentem. Si autem dissonarent, et hoc utique demonstraretur, et ipsum iam olim utique dissolutum esset dogma. Omne enim regnum ait in seipso diuisum, non stabit. Nunc autem et in hoc spiritus uirtus fulget, suadens homines qui circa necessaria et festinanda student, nichil a paruus his impediri. Ibi quidem igitur singulis commorans scripsit, non ualde nobis possibile est certi orare. Quoniam autem non simul coalternatim steterunt, hoc per totum opus temptabo demonstrare. Tu autem idem facis dissonantiam causans, quemadmodum utique si et uerba eadem iuberes dicere, et tropos dictionum. Et nondum dico quod qui magne in rethorica et philosophia gloriantur, multi multos libros scribentes de eisdem rebus, non solum simpliciter dissonarunt, sed et contrariae ad inuicem scripserunt. Etenim aliud est diuerse dicere et aduersos dicere. Nichil horum dico, absit, ut ex illorum uesania componam responsionem. Neque enim a mendacio, ueritatem constituere uolo. Sed illud libenter utique te interrogarem qualiter credita essent si dissonarent, qualiter tenerent, qualiter contraria dicentes ammirarentur, crederentur, praedicarentur ubique terrarum? Et profecto multi testes eorum quae dicuntur erant, multi autem inimici et aduersarii. Non enim in angulo uno haec scribentes suffoderunt, sed ubique terrarum expanderunt ad omnium aures, et inimicis presentibus haec legebantur quemadmodum et nunc. Et nullum nichil eorum quae dicta sunt scandalizauit. Et ualde decenter diuina eum uirtus erat quae omnia preibat et dirigebat apud omnes. Quoniam nisi hoc erat, qualiter publicanus et piscator et inlitterarus, talia philosophabatur. Quae enim neque per somnium philosophi imaginari potuerunt umquam, haec hii cum multa certitudine et annuntiant

Commented [CN9]: [f.2vb]; incarna add. super lin.

Commented [CN10]: Iohannem add. super lin.

Commented [CN11]: [f.2ra]

Commented [CN12]: [f.2rb]

et suadent, et non uiuentes solum sed et deficientes, neque duobus et xx. hominibus, neque centum et mille, sed ciuitatibus, et gentibus, et populis, et terrae, et mari, et grecis, et barbaris, et orbi terrarum, et de rebus uehementer nostram superexcedentibus naturam. Terram enim relinquentes, omnia de his quae in celis sunt disputant, aliam nobis uitam introducentes, et diuitias, et inopiam, et libertatem, et seruitutem, et uitam, et moretm, et mundum, et urbanitatem, omnia permutata. Non quemadmodum plato qui derisibilem illam urbanitatem composuit, et zeno, et siquis alius urbanitatem scripsit, uel leges composuit. Etenim exinde omnes hii demonstrabantur, quod spiritus nequam et demon quidam siluestris impugnans nostram naturam, et sobrietatis inimicus, et bone ordinationi aduersus omnia superius et inferius uertens, insonuit eorum animabus. Cum enim communes omnibus mulieres faciunt, et uirgines denudantes ad palestras ducunt ad uisum hominum, et furtiuas construunt nuptias, omnes simul remiscentes et conturbantes, et terminos nature euertentes, quid alius est dicere? Quoniam enim demonum ille omnes ad inuentiones et preter naturam sunt quae dicuntur, et ipsa testabitur utique nostra natura, non sustinens ea quae dicta sunt. Et haec sunt non cum persecutionibus, non cum periculis, non cum preliis, sed cum ocio et libertate omni scribentium, et omnia multipliciter ornantium. Quae autem piscatorum expulsorum, flagellatorum, periclitantium, et ydiotae, et sapientes, et serui, et liberi, et reges, et milites, et barbari, et greci, cum omni susceperunt bona mente. Et non utique dicere quod quia parua sunt haec et humilia, facile suscepta sunt ab omnibus. Etenim multo haec illis excelsiora sunt. Virginitatis quidem enim illi, neque somnium, neque nomen imaginati sunt, neque ieiunii, neque aliorum excelsorum. Nostri autem non concupiscentiam exterminant solum, neque operationem puniunt, sed et uisum incontinentem, et uerba conuiciosa, et risum inordinatum, et formam, et incessum, et uocem, et usque ad paruissima adducunt suam certitudinem. Et orbem terrarum uniuersum uirginitatis repleuerunt planta, et de deo philosophari suadent, et de his quae in celis sunt rebus, quae nullus umquam illorum umquam neque in mentem suscipere potuit. Qualiter enim qui ferarum reptantium et aliorum irrationalium imagines deificarunt? Sed tamen et monstrata et credita sunt, excelsa haec dogmata, et secundum unamquamque florescunt diem et superaddunt. Quae autem illorum sunt transeunt et perierunt araneorum telis facilius destructa, et ualde decenter. Demones enim haec enarrabant. Ideo cum inupidicia, multam habent tenebrositatem, et ampliorem laborem. Quid enim utique fiet derisibilis urbanitate illa, in qua cum predictis mille consumens uersus philosphus cum prolixitate, et difficultate multa repleuit ea quae dicta sunt, ut possit monstrare quid est iustum. Quod et si utile quid haberet, ualde tamen inutile nostrae uitae esset, si agricola, et faber, et tector, et gubernator, et unusquisque qui a manuum edificatur operatione, artem quidem dimittet et iustos labores, consumet autem annos tot et tot, ut addiscat quid est iusticia. Et ante quam addiscat, multiociens fame corrumpetur, et abscedet propter iusticiam hanc, nichil utilium addiscens, et uiolenta morte dissoluens uitam. Sed non nostra talia sunt. Sed iustum et decens, et conferens, et omnem simplicitur uirtutem, in breuibus et manifestis sillabarum uerbis, edocuit nos christus. Quandoque quidem dicens quod lex et prophetae, in duobus mandatis pendent, hoc est dei amor et proximi. Quandoque autem dicens, quecunque uultis ut faciant uobis homines, et uos facite eis. Haec enim est lex et prophetae. Quae et rustico, et famulo, et mulieri uiduae, et puero ipsi, et ei qui ualde amens uidetur esse, et succincta sunt, et facilia ad discendum. Talia enim quae ueritatis sunt, et testatur rei finis. Omnes ergo didicerunt quae facienda sunt, et non didicerunt solum, sed et zelauerunt, et non in ciuitatibus solum, sed et in uerticibus montium. Etenim illic multam uidebis philosophiam existentem, et choros angelorum in humano corpore fulgentes, et celorum urbanitatem hic apparentem. Etenim et urbanitatem scripserunt nobis piscatores. Non a puericia iubentes assumere eam quemadmodum illi, neque tot et tot annorum

Commented [CN13]: [f.2va]

Commented [CN14]: [fol.2vb]

censentes esse uirtuosum, sed simpliciter omni loquentes aetati. Illa quidem enim puerorum sunt luci. Haec autem rerum ueritas, et locum autem dederunt urbanitati huic, coelum, et artificem eius, et legis latorem illic iacentium legum, deum ut oportuit introduxerunt. Prauia autem urbanitatis non folia lauri sunt, neque frumentidatio, neque imagines enee, sed uita finem non habens, et dei filios fieri, et cum angelis chorum facere, et throno assistere regali, et semper esse cum christo. Duces autem urbanitatis huius sunt publicani et piscatores, et tabernaculorum factores. Qui non in tempore uixerunt paruo, sed semper uiuunt, ideoque et post mortem eis qui in urbanitate hac morantur, maxime prodesse possunt. Huic urbanitati, prelium non ad homines sed ad demones et incorporeas uirtutes illas est. Ideoque princeps eis non hominum neque angelorum aliquis, sed ipse deus, et arma autem militum horum, imitantur prelii huius naturam. Neque enim ex corio et ferro constructa sunt, sed ex uirtute et iusticia et fide et philosophia uniuersa. Quoniam igitur de urbanitate hac, et liber hic scriptus est, et nobis preiacet nunc de ea dicere, intendamus certissime matheo de hac disputanti. Non enim eius sunt sed christi qui ciuilitatem introduxerunt, omnia sunt quae ducuntur. Intendamus autem ut et inscribi possimus in ipsam, et fulgere cum his qui in ea iam sunt ciuibus, et in marcessibiles illas susceperunt coronas. Et nimirum multis, facilis sermo hic esse uidetur, quae autem prophetarum sunt, difficultatem habere. Sed et hoc ignorantium est, profunditatem in iacentium ipsis aeuangeliis intelligentiarum. Ideo deprecor uos cum multo nos sequi studio, ut in ipsum pelagus eorum quae scripta sunt ingrediamur, christo in ingressu hoc precedente nobis. Vt autem facile discibilior fiat sermo, rogamus et deprecamur, quod in aliis scripturis fecimus, preassumere incisionem scripturae quam commentaturi sumus, ut cognitionem lectio precedens, quod et in eunucho factum est, multam tribuat facilitatem nobis. Etenim quae queruntur multa et coalterna sunt. Vide ergo confestim in proemiis aeuangelii ipsius, quot utique quis aporiabitur. Primum quidem, qua de causa ioseph in genealogia ponitur, cum non sit christi pater. Secundo autem unde erit manifestus nobis, quod a dauid descendit genere, mariae a qua nataus est progenitoribus ignoratis. Neque enim in genealogia posita est uirgo. Tercio, cuius gratia ioseph quidem qui nichil confert ad natiuitatem genealogizatur, uirgo autem quae et mater facta est, non monstratur quorum patrum et auorum et progenitorum est. Et cum his dignum et illud querere, quid utique umquam per uiros producens genealogiam, meminit et mulierum. Et quoniam hoc ei placuit neque omnes posuit mulieres, sed probatas pertransiens, puta sarram, rebecca, et quaecunque sunt tales in malitia diffamatas, has in medium duxit solum, puta, quae est meretrix et adultera, quae ex iniquis nuptiis, quae allophila et barbara fuit. Etenim eius quae uriae, et thamar, et ruth, meminit. Quarum haec quidem alienigena fuit, illa autem meretrix, alia autem ab assini corrupta est. Et neque hoc lege nuptiarum, sed furata mixtionem, et meretricis circumponens formam sibi ipsi. Et eam autem quae fuit uriae, nullus ignorat propter magnitudinem delicti. Sed tamen omnes alias dimittens aeuangelista, has imposuit genealogie solas, et profecto si meminisse mulierum oportebat, omnium debuisset. Si autem non omnium sed quarundam, earum quae in uirtute, non earum quae in peccatis sunt famose. Videtis quanta nobis indigentia est serutationis in proemiis confestim? Et denique uidetur manifestius esse aliis proemium hoc. Fortassis autem et superfluum, quia nomina numerat solum. Post haec et illud dignum querere, qua de causa tres transcurrit reges. Si enim ubi ualde impiorum siluit appellationem, neque aliorum talium meminisse oportebat. Etenim et haec alia est questio. Quatuordecim enim cum dixisset generationes, in tertia particula numerum non custodit. Et cur lucas quidem aliorum meminit nominum, et non solum non eorundem omnium, sed et multo plurium. Matheus autem, et pauciorum et aliorum, sed tamen in ioseph et ipse finiuit, in quem et lucas terminaui. Videte quantarum uigiliarum nobis indigentia est, non ad soluendum solum, sed et ad discendum quae oportet soluere. Neque enim hoc paruum

Commented [CN15]: [fol.3ra]

Commented [CN16]: [fol.3rb]

est, ea quae aporiantur posse inuenire. Etenim et illud grauius est, qualiter elisabeth de leuitica existens tribu, cognata erat mariae.

Sed ut non uestram grauemus memoriam, multa compilantes, hic sermonem sistemus. Sufficit enim nobis ad erigendum uos, et quae queruntur solum addiscere. Si autem et solutionem cupitis, et hoc ante sermones nostros, geremus morem uobis. Siquidem enim uideo erectos et cupientes discere, temptabo et solutionem inducere. Si autem escitatnes et non intendentes, occultabo et questionem et solutionem, a diuina lege suasus. Ne detis enim ait, sancta canibus, neque proicite margaritas ante porcos, ut non conculcent pedibus eorum. Quis autem est qui conculcat? Qui non honorabilia haec et sobria estimat. Et quis hic miser est ait ut non sobria haec, et omnibus existimet honorabiliora? Qui neque tantam tribuit eis uacationem, quantam adulteris mulieribus in satanicis theatris. Illic quidem enim et totam diem consumunt multi, et quam plura suorum impendunt, propter malam moram hanc, et cum certitudine quodcunque audiunt retinent, et haec in iactura suarum animarum conseruantes. Hic autem deo loquente, neque paruo sustinent morari tempore. Propterea nichil commune habemus ad coelum, sed usque ad uerba, est nobis urbanitas haec. Et profecto et geennam propterea minatur est deus, non ut inmittat sed ut suadeat fugere perniciosam tyrannidem hanc, per ea quae audimus. Nos autem contrarium facimus quam audimus, et singulo die ad eam quae illic fert uiam currimus, et deo iubente non solum audire, sed et facere quae dicuntur, neque audire sustinemus. Quando igitur faciemus dic michi quae iubentur, et operationem tangemus, cum neque eos qui de his sunt sermones audire sustinemus, sed resiliimus et mesti sumus propter eam quae hic est moram, etsi breuem existentem ualde? Deinde nos quidem de frigidis disputantes rebus, si eos qui considunt non intendentes uiderimus, iniuriam rem hanc aimus. Deinde autem non estimamus irritare, quando eo de talibus disputante, contempnentes ea quae dicuntur, alia inspicimus. Sed senex quidem et qui multas pertransiuit terras, et stadiorum numerum, et ciuitatum positiones, et figuras, et portus, et nundinas, cum certitudine omni annuntiat nobis. Ipsi autem neque quantum distamus ab ea quae in celis est ciuitate, nouimus. Certe enim utique et studeremus longitudinem precidere, si spacium cognosceremus. Non enim tantum a nobis distat ciuitas illa quantum celi ad terram est medium, sed et multo amplius, si desides sumus, quemadmodum si studeremus, et in instanti tempore ad portas eius ueniremus. Non enim prolixitate locorum, sed morum consilio spacia haec terminantur. Tu autem uitae huius quidem res cum certitudine nosciscis, et nouas et antiquas, et principes numerare potes, sub quibus militasti in precedenti tempore, et agonistam, et brauium accipientes, et duces, quae nichil tibi conferunt, quis autem princeps in ciuitate factus est hac, uel primus, uel secundus, uel tercius, uel quantoquisque tempore, uel quid dirigens et operans, neque insomnio imaginatus es umquam. Leges autem in ciuitate hac positas neque aliis dicentibus audire et intendere sustines. Quomodo igitur dic michi estimas promissis fortunari bonis, neque his quae dicuntur intendens, sed etsi non prius, nunc saltim hoc faciamus. Etenim in ciuitatem ingressuri sumus si deus permittet auream, et auro omni preciosiorem. Discamus igitur eius fundamenta portas a saphiro et margaritis compositas. Etenim habemus optimum ductorem matheum. Per portam enim eius nunc ingrediemur, et oportet multum nos habere studium. Si enim uiderit aliquem non intendentem, expellit a ciuitate. Etenim est regalis ciuitas haec, et illustris. Non ut quae apud nos sunt in forum et palatia diuisa, sed omnia palacia quae illic sunt. Expandamus igitur portas mentis, expandamus auditum, et cum tremore multo pertransituri ea quae ante portas, adoremus eum qui in ipsa est regem. Etenim confestim prima in missio oculorum, stupidum facere potest inspectorem. Clause quidem sunt nobis nunc portae, hoc est questionum. Quando autem uidebimus eas expansas, hoc enim est questionum solutio, tunc

Commented [CN17]: Morale primum quod intente et cum uigiliis audienda est expositio: *notum in margine*

Commented [CN18]: [fol.3va]

Commented [CN19]: [fol.3vb]

Commented [CN20]: uel futuri pertransire *add. super lin.*

uidebimus multam intus coruscationem. Etenim spiritus sancti oculis directus, omnia tibi promittit monstrare publicanus hic, ubi quidem rex sedet, et qui ei ex exercitibus assistunt, et ubi quidem angeli, ubi autem archangeli, et quis nouis ciuibus in ciuitate hac locus determinatus est. Et quale est quae illuc fert uia, et quam assumpserunt terminationem qui primi illic ciues, et qui post illos et qui post hos, et quot plebium illarum **ordines**, et quot senatus, et quod dignitatum differentiae. Non igitur cum tumultu et turbatione ingrediamur, sed cum silentio mistico. Si enim in theatro multo silentio facto, tunc regis leguntur litterae, multo magis in ciuitate hac omnes oportet **contractos** esse, et rectos animabus et auribus stare. Non enim terrestres cuiusdam, sed angelorum dominatoris litterae legi future sunt. Etsi ita nosmetipsos preparauerimus, ipsa spiritus gratia diriget cum multa certitudine nos, et ad ipsum ueniamus thronum regalem, et omnibus fortunabimur bonis. Gratia et benignitate domini nostri ihesu christi, per quem et cum quo patri gloria et imperium, simul cum sancto spiritu, in secula seculorum, amen.

**Commented [CN21]:** [fol.4ra]

**Commented [CN22]:** termentes *add. super lin.*